

à Nicosiensi Episcopo usurpari cœpit. Ante seculum XIII Episcopi *non Apostolicæ Sedis beneficio, ut nunc fit in plerisque locis*, sed tantum *divinâ gratiâ aut miseratione*, se Episcopos nuncupabant. Quâ de re consule Thomassinum. (*De Discipl. Eccles. part. 1. Lib. 1. cap. 59.*)

Locos Theologicos qui gravius sunt momenti, hætenus exposuimus; nunc satis erit alios raptim perstringere.



DISSERTATIO VII.

De Theologorum autoritate.

QUAMQUAM *Theologi* appellari merito possint et debeant veteres *Ecclesiæ Patres*, à quibus accepta est quæcumque vera sanaque est *Theologia*, usus tamen invaluit; ut eo nomine donarentur scriptores, qui post medium sæculum XII, quo desiit in sancto Bernardo *Patrum* appellatio, desacra doctrina disseruerunt. *Theologia* verò ratione methodi quæ in ea tractanda usurpatur, in *Positivam* dividitur et *Scholasticam* quæ inde nomen habet, quod juxta methodum in Scholis usitatam pertractetur. Inter utramque illud discriminis assignari, solet: quod *Positiva* stilo utatur elegantiori, diffusiori, et magis oratorio; *Scholastica* autem dialecticum morem usurpet, concisum adhibeat dicendi genus, et artis syllogisticæ regulis accuratius sese accommodet.

Quamquam, si magis propriè loqui velis, non in eo difert *Scholastica* à *Positiva*, quod dialecticâ utatur; hanc enim nonnunquam adhibuere Patres: Magister verò sententiarum: qui *Scholasticæ* *Theologiæ* parens dicitur, nunquam argumentatur;

neque etiam in eo discrepant, quod sermonis ornatum refugiat *Scholastica*; sunt enim *Scholastici*, qui non sine elegantiâ scripsere, ut *Melchior Canus* et alii; hoc unum igitur inter utramque videtur esse discrimen, quod *Scholastici*, ut plurimum, omnes *Theologiæ* partes in unum corpus collegerint, et cum certa methodo tractaverint; *Patres* verò, hanc vel alteram tantum *Theologiæ* partem exposuerint, pro data occasione et necessitate.

In æstimanda *Theologorum* *Scholasticorum* autoritate duplex et oppositus error declinandus est. Primus est eorum qui *Theologiam* *Scholasticam* insectantur ut inutilem, imò perniciosam; ita maxime *Pseudo-Reformati*, eam nunquam reprehensuri, si potuisset ipsorum novitatibus sese accommodare. Eò dementiæ anno 1520, venerunt *Wittembergenses Hæretici*, ut *Scholasticorum* libros feretro impositos, magnâ ministrorum *Populique* frequentiâ, ad mediam *Urbem* deferrent, et celebritatis defunctorum vigiliis, in ardentem rogam projicerent. Ita in *Appendice* ad *Naucleri Chronicon* refert *Surius*. *Secundus* error plurimorum est recentiorum, qui tantam *Theologis* *Scholasticis* tribuunt autoritatem, ut vel unus illis sufficiat, ad conciliandam cuilibet opinioni eam probabilitatem, quæ ad tutè agendum juxta ipsos sufficiat.

PROPOSITIO I.

Theologia Scholastica utilissima est.

Probatur. Vera *Theologia Scholastica* ea est, quæ fidei morumque doctrinam ex *Scriptura*, *Traditione*, *Patribus*, *Conciliis*, *Pontificum Decretis* aliisque *Scriptoribus Ecclesiasticis* colligit, et collectam certo disponit ordine, facili methodo pertractat, omnis generis argumentis confirmat, et

ab hæreticorum sophismatibus vindicat; atqui admodum utilem esse hujusmodi Theologiam nemo negaverit; quis enim statim non videat, quantæ sit utilitatis doctrinam in Scripturarum, Patrum, Conciliorum, tot voluminibus sparsam colligere, et quidquid est in pretiosis illis monumentis præstantius, in unum veluti corpus compingere, ad quod in quacumque necessitate possis recurrere? Quis non sentiat quantum profuerit Doctrinam Theologicam facili dilucidoque ordine disponere, sicque expeditam ad docendum vel discendum viam aperire? Quis maximi momenti esse non judicet, omne argumentorum genus subministrare, quibus et fides persuaadeatur infidelibus, nutriatur ac roboretur in fidelibus, et adversus Hæreticos propugnetur? Atqui hæc omnia præstare nititur ea cujus patrocinium suscipimus Theologia Scholastica; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Concordissima omnium Scholasticorum sententia maximæ est autoritatis.

Probatur. Illud maximæ est autoritatis, quod probabilissimum est argumentum sententiam aliquam in Scripturis vel traditione contineri: atqui ita se habet Scholasticorum omnium consensus. Eos quippè in iis tantum concordēs esse solent, quæ vel Scripturarum, vel Traditionis autoritate nituntur: in aliis verò rebus discordēs esse consueverunt.

PROPOSITIO III.

Ubi Scholasticorum Doctorum variæ sunt et discrepantes sententiæ, major numerus certum non est veritatis argumentum.

Probatur. In diversis quibus Scholæ distrahuntur

opinionibus, non ex solo autorum numero, verum ex argumentorum pondere potissimum æstimanda est veritas: atqui fieri potest ut opinio quam pauciores tenent Doctores, rationum gravitate oppositæ prævaleat, quæ longè pluribus gloriatur Patronis Scholasticis; ac proinde major eorum numerus, certum non est veritatis indicium; expendenda igitur et ponderanda sunt argumenta, quæ ex utraque parte afferuntur, et iis ad hærendum Scholasticis, quorum opinio gravioribus nititur rationibus, et Scripturæ, Traditionis Patrumque Doctrinæ magis consentanea est. Et verò si ex majori Scholasticorum parte semper staret veritas, admitienda fuissent nefanda illa dogmata quæ in moralem disciplinam invexere recentiores Casuistæ; siquidem longè plures erant numero, atqui tamen ea rejicere et horrescere semper necesse fuit, et ab Alexandro VII, Innocentio XI, Cleroque Gallicano damnata sunt; ergo, etc.

Hinc Canus, illustris Theologus, Nego, inquit, cum de fide agatur, sequi plurimorum judicium oportere. Nec hic, ut in humanis vel electionibus vel judiciis, ex numero suffragiorum sententiam metimur. Scimus frequenter usu venire, ut major pars vincat meliorem; scimus non ea semper esse optima, quæ placent pluribus; scimus in rebus quæ ad doctrinam pertinent, sapientum sensum esse præferendum et sapientes paucissimi sunt. (Lib. 5 cap. 5. F.dit. in-4^o. 1704. pag. 214.)





DISSERTATIO III.

De Ratione naturali

DUO sunt pariter circa hunc locum Theologicum fugiendi errores maxime oppositi: alter scilicet eorum est, qui argumentis à ratione ductis ita sese addixerunt, ut ad ipsius trutinam expendenda censeant omnia fidei dogmata, et autoritatem aspernentur; alter illorum est, qui solâ autoritate omnia sic definiunt, ut ab argumentis à ratione naturali petitis haud aliter abhorreant, quàm si Theologiæ essent adversa. Utrumque illum errorem suscipimus explodendum.

PROPOSITIO I.

Necessaria est in rebus Theologicis autoritas, primasque partes sibi vindicat, non ratio.

Probatur. Theologum necesse est multa Mystèria, v. g. Trinitatem personarum in una essentia, Verbi incarnationem, originis noxam in omnes Adami posteros inscrutabili Dei iudicio diffusam, et alia id genus, quæ mentis humanæ captum longè superant, non modò credere, verum etiam pro viribus tueri; atqui sine Scripturarum Conciliorum, Patrum, totiusque Traditionis autoritate, nemo poterit tam sublimia dogmata persuadere: refugit enim superba hominis ratio, quæ sibi impervia sunt credere, nisi autoritate fallere et falli nesciâ subigatur; hinc Novi Testamenti Scriptura passim clamat obediendum esse fidei, Evangelio, veritati. *Gratias Deo*, inquit

Apostolus, quòd obedistis ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. (Rom. 6. 17.) Quis vos fascinavit non obedire veritati! (Galar. 3. 1.) Animi igitur assensum cum obedientiâ conjunctum postulat Fides ac proinde Theologia; atqui illud mentis obsequium satis probat, in rebus fidei et theologicis magistram ducemque esse autoritatem.

Præterea non potuerunt Patres veram persuadendæ Religionis methodum ignorare: atqui hæc constans et unanimis fuit Patrum sententia, homines ad veritatem autoritate esse pertrahendos, nec satis esse insitam nobis rationem consulere Clemens Alexandrinus, v. g. ait *Principium doctrinæ habere nos Deum.* (Lib. 7. *Sromatum.*) Tertullianus, postquam Hæreticos arguisset, qui è suo cerebro eliciunt quod credant: *Nobis verò*, inquit, *nihil ex nostro arbitrio inducere licet.* . . . *Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* (Lib. de præscript. cap. 6.) Origenes, inter varias hominum de veritate litigantium opiniones, illam solam esse credendam veritatem statuit, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. (Lib. 1. de principiis in præfat. n. 2. edit. Benedict.) S. Augustinus docet nihil salubrius in Ecclesiâ Catholica fieri, quam ut rationem præcedat autoritas. (Lib. de morib. Eccles. Cathol. cap. 25. n. 46.) Cum gratia, ait S. Thomas, non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei. (1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2.) Sexcenta alia prætermitto testimonia; quæ hæc unâ Vincentii Lirinensis regulâ, quam suam faciunt Catholici; continentur: *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: atqui hanc regulam rejiciat necesse est, quid dixerit in rebus Theologicis.*

vel nulla opus esse autoritate, vel primas partes rationi tribuendas.

Denique, si audienda magis sit ratio, quam autoritas, non erit intellectus redigendus in *captivitatem, in obsequium Christi*, ut jubet Apostolus, (2. Cor. 10. 5.) sed potius fides intelligentiæ humanæ subjiçienda erit: si quando occurrat dogma nostræ rationi impervium, statim rejiciendum erit, non verò confugiendum ad illam Apostoli responsionem; *O altitudo divitarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (Rom. 11. 33.) Atqui nemo est, qui non videat quantum hæc veritatis quærendæ ratio absurda sit, impia et periculosa. Undenam plerique errores emergerunt, nisi ex eo quòd audaces homines, infirmâ tantisque tenebris involutâ ratione superbientes, autoritatis jugo et magisterio sese subdlexerint? In eum scopulum impegere præsertim Sociniani, quorum feracissima est ætas nostra: ratio enim Deum nihil revelasse, quod humana ratio non valeat assequi, in sensum metaphoricum detorquent ea omnia Scripturæ loca, quæ ad litteram accepta, dogma exprimunt, quod hominis captum superat, aut rationi naturali videtur oppositum. Hoc ducti principio, Trinitatem, incarnationem, aliaque Mystera abjiciunt.

PROPOSITIO II.

Theologia omnem Rationis usum non respuit.

Probatur 1º. Eò potissimum spectat Theologia, ut homines ad mysteriorum occultissimorum fidem adducat; atqui illud sine rationis usu non poterit assequi: ut enim dogmatibus humanæ intelligentiæ inaccessis assentiendum esse persuadeat Theologus hæc duo certa faciat necesse est? primum Deum nec fallere, nec falli posse; secundum,

hoc vel illud à Deo fuisse certò revelatum; utrumque verò non potest adstruere, nisi argumentis à genuina Dei notione, à Prophetiis et miraculis depromptis: atqui hujusmodi argumenta ad rationem pertinent, ipsiusque veluti dominio subjacent; ergo, etc.

2º. Illud Theologiæ proprium est, ut sacræ doctrinæ fontes adeat, ut germanum Scripturæ textum dignoscat? ut versiones cum primigenio textu, et unum textum cum altero conferat, ut Traditionem consulat, certa ab incertis, naturalia à *supernaturalibus*, revelata à non revelatis discernat, ut adversariorum sophismata dissolvat, etc. atqui hæc omnia Theologus sine rationis subsidio non potest exequi.

3º. Vel fatendum est rationem suas in Theologia partes habere, vel dicendum erit Deam homines ad fidem, ut muta animalia compellere, nec posse quemquam Religionem Christianam profiteri, nisi prius humanam conditionem deposuerit; atqui illud posterius absurdum est, à doctrinaque Apostoli alienum, qui non nisi *rationabile obsequium* postulat. (Rom. 12. 1.) Hic etiam ostendere facile esset, eam semper fuisse Ecclesiæ Doctorum consuetudinem, ut in tractandis suadendisque Religionis Christianæ dogmatibus, rationis subsidium adsciscerent. Sed quorsum in re tam aperta tot congerere argumenta?





DISSERTATIO IX.

De Philosophia.

MULTIPLEX è Philosophiæ studio in Theologiam derivari potest utilitas: 1^o. enim ut Philosophos edoceat, ad Religionemque Christianam adducat, cognitiones philosophicas adhibere potest Theologus; cuique enim, ut ad fidem alliciatur; ea proponenda sunt, quæ ipsi videntur familiaria. Sic Paulus in medio Areopagi ex ipsâ aræ inscriptione Evangelium nuntiandi occasionem arripuit: neque cum Epicureis et Stoicis disserere detrectavit, ut Act. 17. narratur: sic in lib. Stromatum Clemens Alexandrinus, Philosophi personam gerens, Religionem Christianam Philosophis iastillat. Sic eruditum de animâ tractatum conscripsit Gregorius Thaumaturgus, in quo nonnisi philosophicis argumentis utitur, ut ipsum rogaverat Tatianus, quem ita alloquitur: *Jussisti, præstantissime Tatiane, ut cum efficacibus argumentis, sive demonstrationibus, sermonem, atque disputationem de animâ tibi conscriptum mitterem, eaque in re nullis Scripturarum uterer testimoniis.*

2^o. Cum acutissimis Sophistis, quibus ætas nostra pullulat, et qui insidiosis argutiis Religionem Christianam lacescere non desinunt, non semel congregiendum est. Quo pacto autem rem fortiter feliciterque geret Theologus, si tractandis armis philosophicis rudis fuerit et inexpertus? Quo pacto subtilissima dissolvat sophismata, si disputandâ refellendique artem percalleat, neque à philosophiâ acceperit? adversariorum telis nudus pateat necesse est.

3^o. Ingenii sagacitatem acuit Philosophia, va-

riam et multiplicem cognitionem subministrat: multa enim apud Philosophos reperias, prudenter, ingeniose, et graviter disputata et exposita, quæ suum in usum, pro loco et tempore, convertere potest Theologus, et in Religionis utilitatem detorquere.

Sobriè tamen Philosophiâ utatur Theologus, et certos intra limites illum usum coerceat. 1^o. Enim Philosophia abuteretur Theologus, si ipsius principia, pro totidem Theologiæ regulis, acciperet, ad eorumque normam Scripturæ, Conciliorum, Patrumque interpretationem exigeret; siquidem è contrario ex Scripturis et Traditione corrigenda sunt; aut saltem explicanda Philosophiæ placita.

2^o. Caveat Theologus ne in rebus ad fidem moresque pertinentibus: Philosophorum auctoritati nimium tribuat. Quovitio peccarunt nonnulli quos sic irridet Melchior Canus: *Sunt, inquit, quibus Averroës Paulus est; Alexander Aphrodisæus, Petrus Aristoteles, Christus; Plato non divinus, sed Deus. Cujusmodi non ipsi, præsertim in Italiâ vidimus multos qui, Scripturâ sacrâ neglectâ, ad horum Philosophorum doctrinas, tanquam ad Syrenum scopulos, adhærebant.... non Prophetas, non Apostolos, non Evangelistas; sed Cicerones, Platonem, Aristoteles personabant.* (Lib. 9. de locis Theolog. cap. 9.)

3^o. Quæstiones et speculationes merè Philosophicæ è sacro Theologiæ limine procul arceantur: nec vicissim quæstiones Theologicæ in Philosophicis convertantur: indè enim factum est, ut in quorundam Theologiâ nihil ferè reperias, quod fidei confirmandæ, moribusque instituendis inserviat: sed tota propè in sterilibus et otiosis quibusdam contentionibus speculationibusque philosophicis versetur.

DISSERTATIO X.

De Historia humana.

HISTORIAM humanam dicimus, rerum ab hominibus gestarum narrationem, sive descriptionem, quæ sacris in voluminibus non continetur. Duplex est; alia *Ecclesiastica*, quæ agit de rebus ad Ecclesiam pertinentibus; alia *Profana*, quæ in memorandis rebus civilibus tota versatur. Utramque Theologo perutilem, imò necessariam esse nemo est qui diffiteatur, maximè Ecclesiasticam; enimvero, cum Theologia nihil aliud sit, quam eorum scientia quæ de fidei morumque doctrina, de Hæresibus et Hæreticis, de disciplina, etc. ab Ecclesiæ incunabulis, ad nostra usque tempora, definita sunt in Conciliis vel damnata, in Patrum scriptis approbata aut rejecta quis negaverit historiæ Ecclesiasticæ subsidio Theologum maximè indigere? Quis enim, v. g. æternam verbi divini generationem, et cum Patre æqualitatem perfectam; strenuè defendet, si de Ario exortisque ejus occasione in Ecclesia tumultibus, nihil aut parùm audierit? Quis de Spiritû Sancti Divinitate, de unicâ Christi Personâ, de naturis duabus, de voluntate duplici, de imaginum cultu, etc. ut par est, disputabit, si in Macedoniî, Nestoriî, Eutychemis, Monothelitarum, Iconoclastarum historiâ hospes fuerit et peregrinus? Præterea Theologus qui minimè est in historiâ versatus, errores planè ridendos vix effugere poterit.

Iis Theologus perlegendis Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus operam dabit, qui tum scientiâ, tum

probitate, tum judicii severitate hoc consecuti sunt, ut ipsis fides plerumque adjungeretur. Cum singulos recensere nec possumus nec velimus, hoc unum observabimus unanimi ferè omnium consensu, in ea classe inter veteres numerari, Eusebium, Hieronymum, Sulpicium Severum, Socratem, Evagrium, Theodoretum, Marium Mercatorem, Victorem Wittensem, Gregorium Turonensem, Isidorum Hispalensem, quorum narrationem licet non semper, quod solis Scriptoribus canonicis proprium est, ut plurimùm tamen veram esse satis apud eruditos constat.

Et quidem 1^o. Eusebius Episcopus Cæsariensis qui obiit circa annum 338, omnes penè Veterum Libros legerat. Quamquam autem à quibusdam reprehensus fuerit, non sine causa, propter Ariana Hæresis suspicionem, nemo tamen, si fortè Scalligerum, omnium hominum audacissimum exceperis; nemo, inquam, eum non habuit ut accuratum Scriptorem et fide dignissimum, quem Historiæ Ecclesiasticæ quasi parentem meritò dixerimus. Ipsius Historia X libris comprehensa, ab adventu Messiæ ad annum circiter 323 perducitur.

2^o. Hieronymus Stridone in Damaltia et Pannoniæ confinio natus circa annum 329, valde senex obiit anno 420. Amplissimâ doctrinæ copiâ, et pietate totius Ecclesiæ judicio comprobata plurimùm commendatur. Eusebii Chronica continuavit, et Tractatum de vitâ et operibus Autorum Ecclesiasticorum conscripsit.

3^o. Sulpicius Severus, Presbyter Aginnensis, sancti Martini, cujus vitam scripsit, discipulus fuit. Historiæ sacræ Epitome, quam à mundo condito ad suam usque ætatem perduxit, ob styli elegantiam tantoperè æstimant eruditi, ut eam Sallustii operibus comparandam judicent. Eum circa annum 420 obiisse vulgò creditur.

4^o. Socrates Constantinopoli circa annum 380

natus, Laicus tantum fuit. Suam Ecclesiae Historiam incipit ab Arianismo, quem non nisi leviter perstrinxerat Eusebius, eamque ab anno 306 ad annum 439 persequitur. De Socrate quid sentiat doctissimus ipsius interpret Henricus Valesius, audiamus: *Socrates noster; inquit, conquisitis undique optimis monumentis... et libris Ecclesiasticorum Scriptorum, ex eorum fide historiam elucubrauit... quantum dictionis elegantiam vincit Sozomenus, tantum Socrates iudicio vincit... nihil in illo, nisi grave ac serium; nihil quod tanquam superfluum possit expungere: contra vero in Sozomeno quaedam occurrunt levia et puerilia.* (*De vita et scriptis Socratis et Sozomeni.*)

6°. Theorodetus natione Syrus, natus anno 386, ad sedem Cyri (*de Cyr.*) Episcopalem evectus est anno 420, et obiit anno 857 aut 458. Eum fatentur omnes fuisse virum eximiae sanctitatis, exquisiti iudicii, omnique disciplinam cultissimi Ecclesiae historiam, ab anno 324, usque ad annum 429 scripsit.

6°. Evagrius Epiphaniae in Syria natus circa annum 537, autor est Historiae Ecclesiasticae, quae Libris VI continetur, ab eoque tempore initium habet, quo suam claudunt Socrates et Theodoretus. Scilicet ab anno 431 incipit, et desinit ad annum 594; suum de Evagrio iudicium sic profert eruditus Valesius: *Laudanda est imprimis Evagrii diligentia, qui cum Historiam Ecclesiasticam aggressus esset, quaecumque ad id argumentum spectabant, collegit... stilusque ejus non improbandus est: habet enim elegantiam et venustatem.*

7°. Marius Mercator cum Augustino fuit amicitiam conjunctus; obiit circa annum 451. Illum sic commendat J. Garnier in ea quam vulgavit editione: *Scriptis de Juliano, Caesario et Nestorio, quae partim vidit, partim etiam gessit. Scripta edidit*

eo tempore, quo poterat ab omnibus damnari mendacii, si quid a vero alienum retulisset. Obiit anno 451.

8°. Victor Vittensis in Africâ Episcopus (*de Vite ou d'Utiqne*, in describenda persecutione quae in Africâ Catholicos V saeculo immaniter saevit Hunnericus, Rex Vandalorum Arianus, plurimum ostendit diligentiae et pietatis.

9°. Gregorius Turonensis Archiepiscopus, apud Avernos natus anno 544, et anno 595 mortuus, non potest non videri ad persuadendum idoneus, tum quia ea, ut plurimum, refert quae ipse vidit, vel a suae aetatis hominibus accepit: tum quia omnem ab eo malae fidei suspicionem removeat ipsius candor et ingenuitas. Quod in credendis miraculis facilius fuerit, a quibusdam arguitur; sed, etiam si eum ex hac parte paululum peccasse concederetur, nihilominus maximam ipsius scriptis stare fidem probat D. Ruinart in ejus operum editionis praefatione. (*n. 64.*) Historiam tum Ecclesiasticam, tum profanam, ab eo tempore quo Pothinus Religionem Christianam in Gallias adduxit, ad annum usque 595 persequitur.

10°. S. Isidorus anno 601 Hispalensis Episcopus (*de Seville en Espagne*;) obiit anno 646. A Concilio Toletano VIII, anno 653, honorifice appellatur saeculi sui Doctor egregius, Ecclesiae Catholicae novissimum decus, praecedentibus aetate postremus, doctrinam non infimus, et cum reverentia nominandus. Chronica scripsit ab Adamo ad annum 626, quae Gothorum, Vandalorum, et Suevorum historiae non parum inserviunt.

11°. Inter recentiores Historiae Ecclesiasticae Scriptores, maximam, et quidem bene meritam, pietatis scientiae, accurataeque iudicii famam apud omnes adepti sunt D. Fleuri, et D. le Nain de Tillemont; quibus accedunt D. D. Dupin. Godeau, Episcopus Vinciensis, et qui ante illos omnes scripsit Cardinalis Baronius, anno 1607 mortuus.

Annalium Ecclesiasticorum 12 volumina *in-fol.* edidit, quæ immensam eruditionem demonstrant. A Christo nato ad annum 1198 perducuntur. Sed plurima ipsi exciderunt errata: quæ emendavit doctissimus Pater Pagi in opere exquisito, 4 voluminibus *in-folio*, comprehenso.

Finis Tomi primi.

INDEX

TOMI PRIMI.

QUESTIONES PROLUSORIÆ

QVÆSTIO I. Quid sit Theologia.	Pag. 1
Q. II. An Theologia sit scientia.	ibid.
Q. III. Utrum conclusionis theologicæ major sit certitudo, quàm veritatis evidentis, ratione naturali cognitæ.	2
Q. IV. Quodnam sit objectum Theologiæ.	3
Q. V. Quotuplex sit Theologia.	4
Q. VI. Quem finem sibi proponere debeant Theologiæ candidati.	ibid.
Q. VII. Quales esse debeant Theologi dotes.	5
Q. VIII. Quem in decurrendo stadio theologico instituemus ordinem.	8

TRACTATUS

De Religionz.

ANNOTATIO. De variis Deistarum placitis & Religionis divisione in naturalem & supernaturalem.	9
---	---

DISSERTATIO I.

<i>De necessitate Cultûs divini, tum interni;</i>	
<i>tum externi.</i>	12
PROP. I. Deo cultus internus debetur.	13
Solvuntur objecta.	14